



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Lvitprandi Ticinensis Diaconi Opvscvlvm, De Vitis
Romanorvm Pontificvm**

Liutprandus <Cremonensis>

Mogvntiae, 1602

L.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11115

HILARIVS, natione Sardus, ex patre Crispino sedit annis 6. mens. 3. diebus 10. Hic firmavit 3. Synodos, Nicænam, Ephesinam, & Chalcedonensem, vel tomum sancti Episcopi Leonis, & damnauit omnes hæresiarchas ac sequaces eorum. Confirmauit quoque dominationem & principatum sedis Catholicæ & apostolicæ Romanæ Ecclesiæ. Qui sepultus est ad S. Laurentium in crypta iuxta corpus B. Xisti Episcopi, 4. Idus Septemb. Et cessauit Episcopatus dieb. 10.

XLIX.

SIMPLICIUS, natione Tiburtinus, ex patre Castorio, sedit annis 15. mense vno, diebus 7. Cuius temporibus venit relatio de Græcia ab Achatio Constantinopolitano Episcopo affirmante, quod Petrus Alexandrinus Eutychnianista hæreticus factus esset, & quod in morte cuiusdam presbyteri Catholici permixtus esset. Quod audiens Smplicius præsul dissimulans nõ rescripsit Achatio, sed Petrum damnauit expectans tempus pœnitentiæ. Hic sepultus est in basilica B. Petri Apostoli 6. nonas Martias. Et cessauit Episcopatus diebus 6.

L.

FELIX, natione Romanus, ex patre Felice presbytero de titulo Fasciola. sedit annis 8. mens. 11. dieb. 17. Quo tempore iterũ venit relatio de Græcia, Petrum reuocatum ab Achatio Episcopo Constantinopolitano. Quod audiens Felix Romanus Episcopus mittit defensorem cum consilio Sedis suæ, & in Concilio damnauit Achatium cum Petro. Post annum tertium iterum venit relatio ab Imperatore Zenone, vt pœnitens rediret Achatius. Tunc Papa Felix misit duos Episcopos, Mesenum & Vitalem, vt si inuenirẽt complicem Petri Achatium, iterum damnarent eos. Si non, offerrent libellum pœnitentiæ. Qui cum introissent Constantinopolin, corrupti sunt pecunia, & non fecerunt, vt præceperat Dominus Papa. Qui post eorum reuersionem, facto Romæ Concilio examinauit ambos Episcopos, id est, Mesenum & Vitalem, & reos reiecit à communione. Sed Mesenus non tacuit peccatum suum, & ob hoc concessum est ei tempus pœnitentiæ. Sepultus est autem Felix in basilica B. Pauli Apostoli. Et cessauit Episcopatus dieb. 5.